

quamvis longe maioribus instruit, et me fateor instruxit, ut melius intelligerem tribulationem, in qua ille Dominum invocavit, sive absconditum tempestatis ¹⁾, in quo illum Dominus exaudivit ²⁾. Denique et ego cum per occasionem scandali supradicti ³⁾ solito maiores increvissent
 5 michi fluctus temptationis, tanta in tribulatione fui, tantam in abscondito, id est in mente, *tempestatem* ¹⁾ pertuli, ut pene victus deliberarem deponere pondus cure huius monasterii ²⁾, multum immemor illius virtutis et indiscretus ad memorandam constantiam illius victoris, cuius nunc melius memini, quia quantacumque in tribulatione fuisset, quantamcumque in abscondito tempestatem pertulisset, non ipse onera dorso
 10 abiecit, sed *Deus* (ait scriptura) *dorsum eius ab oneribus divértit* ³⁾. Eo usque sustinuit laudabiliter et expectavit patienter, donec Deus diverteret. Turbatus erat interior sensus meus et idcirco vim discretionis pene amiserat, ut tanti exempli sive horum similium memoria foras excluderetur.
 15

15 Sed prevenit me pervigili custodia custos Israel, qui non dormit neque dormitat ⁴⁾, et corripuit correptione sensibili quidem, sed non effabili, scilicet nutu quodam, quem dum senseris, non indiges ab homine doceri, quod fortissimus sit iuxta illud dictum Moysi: *Fortissime Deus spirituum universę carnis* ⁵⁾ et iuxta ^{a)} illud psalmiste: *Qui respicit terram* ^{b)}, *facit eam tremere* ⁶⁾. Quam velociter currit ille nutus eius! Denique et hoc idem psalmista loquitur: *Qui emittit eloquium suum terre, velociter currit sermo eius* ⁷⁾. Etenim cum aliis modis quamplurimis ^{c)} et inenarrabilibus currat sermo eius, isto quoque modo
 25 velociter currit, dum quempiam nutu sensibili percellit ita ut inenarrabiliter homo totus interior simul et exterior intremiscat et concutiat in momento, in ictu oculi. Et hoc nimirum ad illud pertinere putes, quod dilecta in Canticis loquitur: *Dilectus meus misit manum per foramen et venter meus intremuit ad tactum eius* ^{d 8)}. Forte insipientie
 30 potest argui, quod secretum hoc in publicum ^{e)} scribendo produxi, cum de maioribus quidam symmystes ^{f)} Dei ^{g)} dicit: *Secretum meum mihi,*

15 ^{a)} et iuxta *bis* Ende c. 16 fehlt J ^{b)} folgt et B ^{c)} quam pluribus B
^{d)} hier endet B ^{e)} publicem M ^{f)} symmistes M

¹⁾ Ps. 80, 8 ²⁾ S. o. c. 13 ³⁾ Ps. 80, 6—7 ⁴⁾ Vgl. Ps. 120, 4; Isai. 5, 25
⁵⁾ Num. 16, 22 ⁶⁾ Ps. 103, 32 ⁷⁾ Ps. 147, 15 ⁸⁾ Cant. 5, 4 ⁹⁾ symmistes
auch in Ruperts Prolog zu De div. off., Migne, PL. 170, 11/12 wohl nach Hieronymus, Ep. 58, 11 und 66, 9; auch in der Reinhardsbrunner Briefsammlung ed. F. Peeck, MG. Epp. sel. 5 (1952) S. 63 Nr. 72